



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 39. Bonifacius Papalis suæ dignitatis vindex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

§. XXXIX.

Bonifacius Papalis suæ dignitatis vindex.

Interea temporis quatuor isti Carthusienses a Rege Galliæ ad Bonifacium missi, Perusium adveniunt, & sibi demandata, Regisque piam intentionem Pontifici oretenus exponunt; verum cuncta ista bene cæpta consilia in vanum abiere; quilibet enim ex hisce duobus æmulis, quamvis publice mutuis injuriis se invicem afficerent, clam communi consilio sua jura pertinaciter tuebantur. Bonifacius enim ægre ferens, quæ Carthusiani retulissent a Rege, tantum abfuit, ut datam fidem liberaret, quin potius iteratis literis se solum verum esse Pontificem ingeminaret, conquestus, quod adhucdum Clementem, quem tanquam intrusum habebat, agnoscerent; quapropter quatuor istos Religiosos remisit, eisque Epistolam Regi perferendam dedit priori multum absimilem; in qua sui Pontificatus conservationem, & æmuli

muli abdicationem pro unica reddenda pacis via jactitabat: „ Intelleximus (verba sunt Bonifacii ad Regem) illos, qui Robertum Gebennensem Antipapam constituerunt, vel huic adhæserunt, juventute tua abusos esse, teque ita obcæcasse, ut veritatem cognoscere non possis, quod valde dolemus. Interim semper speramus, ut divino numine afflatus jus fundatum Urbani, Antecessoris nostri, agnoscas. Sub finem Epistolæ die 20. Junii 1393. datæ Regem hortatur, ut a Roberto discedat; hæ tamen literæ, cum Regi repetita morbi sui violentia impedito tradi haud potuissent, Bituricum & Burgundiæ ducibus exhibitæ fuere, qui illas responso minus dignas existimarunt.

§. XL.

Clemens media ab universitate proposita rejicit.

Rex primam Bonifacii Epistolam Clementi Avenione rebus suis intento

tento